



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1863**

De S. Niceta Cadorum Episcopo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

## DE S. CLERO DIACONO ET MARTYRE.

VII JANUARI.

**M**artyrologium Romanum: Antiochiæ S. Cleri Diaconi, qui pro confessionis gloria septies tortus, ac diu carcere maceratus, ad ultimum decollatus, martyrium consummavit. Eadem habent Usuardus, Ado, Notherus, Petrus de Natalibus, Bellinus, Maurolycus, Martyrol. Germanic. et aliis verbis Galesinius. Meminit ejus Beda, et vetus Martyrol. Romanum a Rosweydo Nostro editum. ms. Societatis JESU Antverpiæ, Bedæ

præferens nomen, Bilicerium appellat; mss. Rhinow. et S. Richarii, Licerium; plures mss. codices Lycerium ms. S. Lamberti Leodii, et ms. S. Hieronymi Lucerium. Alium XIV Januarii habes Clerum Diaconum, qui non plexus capite, sed in mare mersus dicitur. In ms. Martyrologio S. Hieronymi iterum XV Januarii: Antiochiæ Lucerii Diaconi.

## DE S. THEODORO MONACHO IN ÆGYPTO.

VII JANUARI.  
S. Theodorus  
S. Ammonis  
discipulus.

**T**heodori monachi Ægyptii celeberrimus est in Martyrologio Romano memoria VII Id. Januar. In Ægypto B. Theodori Monachi, qui tempore Constantini Magni floruit sanctitate: cujus S. Athanasius meminit in vita S. Antonii; capite nimirum 30 in edit. Rosweydi, ubi comes fuisse S. Ammonis memoratur cum trans Lycum flumen, nolens corpus nudare, divina virtute est deportatus; ut XVII Januarii referemus, et IV Octob. in

vita S. Ammonis. Ejusdem mentio fit in vita S. Pachonii XIV Maii, Baronius in Notis ad Martyrol. ait S. Antonii fuisse discipulum: verum in citatis S. Antonii et S. Pachonii vitis id non habetur: in Heraclidis vero Paradiso cap. 2, et in Palladii Lausiaca cap. 8, disertè S. Ammonis fuisse discipulum dicitur. Alius est ab eo Theodoro qui XXVIII Decemb. colitur, et S. Pachonii discipulus fuit.

## DE S. NICETA DACORUM EPISCOPO.

§ I. S. Nicetæ primus in Italiam adventus.

POST. AN. CDI.  
VII JANUARI.  
S. Nicetæ natalis.

**A**postolicum hunc virum ita celebrant Fasti Romani VII Id. Januar. In Dacia S. Nicetæ Episcopi, qui feras et barbaras gentes Evangelii prædicatione mites reddidit ac mansuetas. De eo S. Paulinus sub finem Epistolæ 10 ad Severum: Quo in genere te et venerabili Episcopo atque doctissimo Nicetæ, qui ex Dacia Romanis merito admirandus advenerat, et plurimis Dei Sanctis, in veritate non magis tui prædicator quam mei jactans, revelavi. Agit Paulinus de vita S. Martini, ipso adhuc superstite scripta a Severo, quam ab eo sibi communicatam Melanæ ac S. Nicetæ Episcopo legit. Dacia vetus partem Hungariæ, Transilvaniam, et vicinas aliquot provincias complectitur. In hac prædicasse Nicetam patebit inferius ex ratione itineris: ne quis Daniam suspicetur adisse, quod Dacia a mediis avi scriptoribus appellatur. Fidem hæc serius suscepit.

Quando in Italiam venerit: 2 Contigit prior ille Nicetæ in Italiam adventus anno CCCXCVII, cum quintum S. Felicis Natalitium cecinit Paulinus: ut ostendit Baronius ad illam annum. 10 atque ex illo Rosweydo Noster in Notis ad 10 Paulini epistolam.

3 At qui ex Dacia veniens (inquit Baronius loco cit. num. 13.) Romanis, ut ait Paulinus, apparuit admirandus, æque innotuisse Romano Pontifici, atque Apostolorum limina visitasse, quis poterit dubitare? Si enim nulla alia causa quam invisendorum locorum sanctorum tam longam difficilemque peregrinationem obisse, Paulini assertione dicitur; poteritne præterisse venerandas Apostolorum Memorias universo antiquitus celeberrimas orbe, et ad eas non accessisse, insalutatasque reliquisse, qui Nolam se contulit ob S. Felicis sepulchrum? Certe quidem (si conjectura interdum verisimili ex similibus comparata exemplis agere concessum est) haud par est credere, qui tantam ad barbaras gentes agebat molem Apostolatus, sub tantæ rei pondere, veluti operibus omnibus feriatum, tot interjacentes, ut iterum in Italiam

se conferret, peragrasse provincias, nisi consulendi primariam Apostolicam Sedem summa necessitas incubisset.

§ II. Secundus adventus an. CDI.

**Q**uarto rursus post anno in Italiam venit S. Nicetas, ut idem Paulinus testatur Natalitio carmine nono, in quo multa de Nicetæ suo canit. Et quia magnam censeri debet laudari a tam laudato viro, non pigebit partem ejus carminis aliquam adscribere, unde existimari queat quanti Nicetæ eruditionem vitæque sanctitatem fecerit, quantaque eum benevolentia complexus sit Paulinus. Ita ergo scribit:

Salve cara dies, salve mihi, lux mea, salve  
Semper festa mihi: sed in hoc mihi clarior anno  
Orta refulsisti, quia cum Felicis honore  
Nicetam revelas; Sanctorum ut amore duorum  
Binum habeam Natalem hodie, quo corpore sumpti  
Martyris excessum celebrans, et corpore prompti  
Ecce Sacerdotis reditum satiaturo adoro,  
Suscipiens humili metantem in pectore Christum.  
Exultet mea nunc anima, dicatque quod olim  
Sponsa canebat amans Domino vocalis amanti:  
Imber abit, discessit hiems, vox turturis altæ  
In nostra tellure sonat, dat vitis odorem:  
Florida et in terris miramur lilia cæli.  
Unde repente, precor, versa vice temporis æther  
Ver agit, et gelidis flores visuntur in agris?  
Unctus adest Domini, Christi comitatus amicis  
Nicetes, hinc vernat hiems, hinc undique nobis  
Spirat odoratos vegetabilis aura vapores.  
Hoc de corde venit benedicti spiritus agri.  
Vita pudicitia, et liquido mens candida vero,  
Nicetam faciunt flores, et aromata verna.

3 Ac paucis interjectis:  
— Video præsentem lumine coram  
Niceten rediisse mihi; visoque parente,  
Cujus præ cunctis amor in me regnat, et ipse  
Nicetes

Laudatur a S.  
Paulino.

Ejus virtutes.

Videtur Pa-  
pam consul-  
turus venisse.



EX S. PAULINO  
Optatus Paulino  
aduentus.

Nicetes fio, benedicti nominis instar  
Mente gerens, quæ nunc voto victore triumphat.  
Ergo conspiciens hunc longo tempore longe  
Natali venisse tuo, clarissime Felix,  
Nonne tua ducente manu adventasse fatebor?  
Nam quis tam claro poterit non cernere signo  
Hoc prece provenisse tua, ut quod sumere votis  
Vix poteram, aut ipso saltem mihi fingere somno,  
Nicetam rursus coram Felicis in ipso  
Natali, visu simul amplexuque tenerem,  
Atque iterum sub eo canerem mea debita, Felix,  
Auditor tibi? Sed quid faciam? rogo. Pauper  
Divitis assideo mensæ, et miser audeo magnis  
Insertare manum dapibus; neque cogito, quod me  
Talia consimili vice, qualia sumo, parare  
Conveniat, dignumque isto dare iudice verbum.  
Quare inopida, Sancte, tuo, ut te digna Patrono  
Et pariter condigna tuo loquar usus amico.

6 *Ac rursus post pauca :*

Sed quia vox divina decet Felicis honorem,  
Et quia Nicetes, Domini puer atque Sacerdos,  
Longinqua tellure mihi jam missus, ad istum  
Ecce diem venit, vir tam bonus ore magistro,  
Quam sacer est victore animo, vel corpore victo.  
O mihi fulminea a Cherubim si forcipe sumptum  
Carbonem ex ipsa Domini procul adferat ara,  
Et peccatoris male pinguis labra perurat,  
Ut defæcato concretis sordibus ore,  
Non ut ab ore meo, sed ut auditoris ab ore  
Ipsius hausta, meo depromam dignius ore;  
Nec peccatoris stolidi sermo asper et æger  
Et violet castas, et doctas vulneret anres!  
Sed quoniam lateri meus assidet ipse magister,  
Cominus e regione situm, venerante frequenter  
Lumine conspiciam; forsitan sapientis ab ore,  
Ut quondam effetae pecudes pastoris Jacob,  
Conspiciam sterili fecundis pectore sensus.  
Namque et Nicetes Domino benedictus, ut ille,  
Mitis; ut Israhel ovibus quoque pastor et hœdis  
Ante lacum viventis aquæ; sed et hic etiam treis  
Corde pari trina sibi legit ab arbore virgas,  
Queis in aqua positis pecus advocat, et coeunteis  
Ingravidat, virgisque tribus concepta colorat;  
Ut de interrassa variatis cortice virgis  
Insignita gregis sancti fetura probetur.  
At pecori Laban non est nota, sed nota vitæ.  
Nam nota mortis erit, Christo non esse novatos.  
Sic animas steriles in nomine gratia trino  
Innovat, et verbi coitu vir Spiritus implet,  
Conceptosque Deo notat intus Ecclesia fetus  
Virgineo fecunda utero, materque salutis,  
Dum virgis intenta tribus bibit uvida Verbi  
Semina, et internus signatur lumine vultus.  
Hinc sterilis peperit septem, et deficit abundans,  
Dilatante Deo tenues, tenuante superbos.  
Sic ego Niceta viso, quasi fonte reperto  
Sicut ovis sitiens ad viva fluenta cucurri  
Aridus, et sensi mea protinus ubera tendi,  
Attentusque diu pascentis in ora magistri,  
Inspexi docto varias in pectore virgas,  
Conspicuumque bibi per lumina fixa colorem,  
Et me divinis sparsit mens roscida guttis.

7 *Ac paulo inferius :*

Unde mihi hos animos? quæ me levat aura superbum?  
Non agnosco tumens mea pectora; major agit mens.  
Sentio Nicetam, qui proximus assidet, et me  
Tangit, et adjuncto lateri vicinus anhelat.  
Acer anhelantis juxta me spiritus intrat,  
Insolitumque potens meditantis suscitât ignem,  
Frigentis animans admoto fomite fibras.  
Sed reprinam tumidos flatus, nec magna super me  
Exiguus spirabo loqui, referarque relicta  
Parvus humo, et plano modici pede carminis ibo.

a Isa. 6. 6.  
de Seraphim  
id dicitur.  
Eruditio.

Jacob Patriar-  
char similis.

Ejus]presen-  
tia accenditur  
Paulinus.

Quamvis Felicis meritum sublime profari  
Non possum sine laude Dei, tu sancte paterno  
Suscipe me Niceta sinu : et dum pectore docto  
Sustineor, caput in blando mihi corde reclinas,  
Sal tuus insulsum me condat, et sitientes  
Dives vena riget rivo mihi perpete sensus.  
Dicam iterum gaudens, et adhuc vix muneris hujus  
Credulus, ingeminabo rogans : Dic, quæso, redisti?  
Teque ipsum teneo Niceta? in quo hactenus æger  
Noctes atque dies animo tabente pependi?  
Venisti tandem quarto mihi redditus anno.  
Sed grates Christo, quia te vel sero revexit.  
Quam metui ne te mediis regionibus hostis  
Disclusum opposita bellorum nube teneret!  
Sed desideris superantibus obvia nobis  
Vincula rupisti : nec te mare, nec labor illius,  
Nec Gothici tenere metus, nec frigora longis  
Dura viis. Vere in tantis, Niceta, fuisti  
Casibus affectu victus, victorque benigno,  
Fortis et infirmus pariter; sed utrumque potenter :  
Victus amicitia, victus Felicis amore,  
Vicisti duos tenera pietate labores.  
Nunc age, sancte parens, animum mihi dede ma-  
numque,

Nodemus socias in vincula mutua palmas,  
Inque vicem nexis alterno fodere dextris,  
Sermones varios gressu spatiantem seramus.  
Enarrare libet simul et monstrare parenti  
Sollicito nostros toto quo defuit actus  
Tempore. Nam cui jure magis mea gesta retexam,  
Felicisque manu nobis operata revolvam,  
Quam cui cura sumus? gemino qui jure, magistri  
Et patris, ut bene gesta probet, sic improba damnet;  
Corrigat errata, et placidus disponat agenda;  
Imperfecta juvet precibus, perfecta Sacerdos  
Dedicet; atque ita se Felicis in adibus ultro  
Atque citro referat, tamquam ipsum pectore toto  
Felicem gerat, et patria se defuit in aula.

*Hactenus Paulinus, qui deinde Nicetam orat, ut pro se ad Deum preces fundat. Quod Gothicos metus refert Paulinus, Daciam a Gothis veluti genitalem terram possessam ex Aurelio Victore patet; adeoque et Thraciam, in quam a Valente imprudenter admissi. An Getæ hi fuerint, ut multi veterum scripserunt, an Gutæ e Scandinavia progressa gens, an Gothones, sive Gythones, Vistulæ fluminis accolæ; non disputo. Hoc constat ex Aurelio Victore, eos ac Hunnos a Theodosio Magno variis preliis victos : non ita tamen, quin sapius post graviusque Romanos infestarent. De S. Felice, quem hic toties compellat celebratque Paulinus, ægemus XIV Januarii; de ipso Paulino XXII Junii.*

§ III. *Reditus Nicetæ in Daciam : gentes ab eo conversæ.*

**E**tat ejusdem S. Paulini Propempticon ad Nicetam Populi per in Daciam revertentem, e quo tria colligam; Nicetæ iter, quos redibat gentes ab eo conversas, virtutes. Ad iter hæc spectant :

Ibis Aretoos procul usque Dacos,  
Ibis Epiro gemina videndus,  
Et per Ægeos penetrabis æstus  
Thessalonicen.

Appulis sed nunc via prima terris  
Te vehet, longo spatiosa plano,  
Qua Canusino medicata flagrant  
Vellera fuco.

Ast ubi paulum via proferetur,  
Det, precor, mites tibi Christus æstus,  
Et levis spiret sine nube siccis  
Aura Calabris.

Te per Hydruntum Lupiasque vectum,  
Innubæ fratrum simul et sororum  
Ambient, uno Dominum canentes  
Ore, catervæ.

Et sacra edi-  
ficia a se con-  
structa ostendit.

Inde



Inde jam terris subeunte ponto,  
Adriæ stratus sinus obsequetur,  
Unda procumbet, Zephyroque leni  
Vela tumescent.

Sed freto emenso superest viarum  
Rursus in terra labor, ut veharis  
Usque felices, quibus es Sacerdos  
Præstitus, oras.

Tu Philippæos Macetum per agros,  
Per Tomitanam gradieris urbem,  
Ibis et Scupos patriæ propinquos  
Dardanus hospes.

*Explicatus ostensum iter.* 9 Ita Nicetæ iter ordinat Paulinus, ut deducat Nola Canusium Apuliæ, urbem, Canusio Lupias Calabriæ, inde Hydruntum; tum per sinum Adriaticum in Epirum, per Macedoniam, ac deinde sinum Thermaicum Ægei maris Thessalonicam, inde Scupos, ac Tomos. Sed erit cui totum iter relegere lubeat, apteque disponere hospitium. Cum igitur Nola excesserit ac mox Campania finibus, Hirpinorum regio parsque Apennini erit superanda: tum decursis Apuliæ campis Canusium deveniet, quæ nunc Canosa appellatur, sitaque est ad dextram Aufidi fluminis, quod nunc Ofanto, sive Lofanto. Omni peragrata Apulia in Calabriam perveniet, ac Lupiis sive Luppis præteritis, aut Statione Luppia (quam quidam viri eruditi Torre di S. Cataldo vocari nunc arbitrantur, alii vestigium ullum veteris oppidi negant superesse) Hydruntum pertinet, quæ Græcis Hydrus, vulgo nunc Otranto dicitur.

10 Hydrunto cum solverit, trajecto sinu Adriatico in Epirum appellet, quam geminam dicit Paulinus, quia illo ipso ævo in veterem ac novam partita, ut ex Notitia Imperii constat. Deinceps per agrata Macedonia, transmissaque sinu Ægei maris, quem Thermaicum, sive Thermæum, ac Macedonicum vocant, Thessalonicam urbem nobilissimam appellet. Inde Philippos ad extremos Macedoniæ fines in Edonide provincia, celebrem tunc urbem petet. Nisi per Philippæos Macedonum agros intelligere ipsam generaliter Macedoniam, et non uni regnata Philippo arva, quis velit. Demum Thraciæ partem emensus Tomos, Mysiæ inferioris ad Pontum Euacinum sitam urbem (de qua xxv Januarii in S. Britannionis vita) pertinet. Mox sparsos per utramque Mysiam Gothos, et Daciam Ripensem ac Mediterraneam, verbum salutis serendo, obicit: et Scupos interviset, haud alioqui tanto ab Italia spatio distitam urbem, in Dardania Mysiæ superioris provincia.

11 Hoc iter Nicetæ. Gentes ab eo conversæ aut in suscepta ante religione confirmatæ excultæque deinceps recensendæ. Ex illis ipsis ortum fuisse regionibus, conjici e Paulino potest, ista scribente:

Donec optato patriam vehatur  
Lætus ad urbem.

*Nicetæ patria, ac deinde:*

Esto nobiscum, licet ad paternam  
Veneris urbem.

Non enim unius populi magistrum,  
Sed nec unius dedit esse civem  
Te Deus terræ: patria ecce nostra  
Te sibi sumit.

Nunc tuos æqua pietate utrisque  
Divide affectus; et amore nobis,  
Civibus vultu, gemina morare  
Civis in ora.

Forsan et major patria hæc habenda,  
Non manu factis ubi contineris  
Pectorum tectis, hominesque vivam  
Incolis urbem.

Et fuit eodem fere tempore alter Nicetas Gothus martyr coronatus sub Athanarico in eadem Dacia, ut xv Septembris dicemus. Sed ad sanctos nostri Nicetæ labores fractusque veniamus, audiamusque de iis Paulinum.

12 O quibus jam tunc resonabit illa

Gaudiis tellus, ubi tu rigentes

Edoces Christo fera colla miti

Subdere gentes?

Quaque Riphæis Boreas in oris

Alligat densis fluvios pruinis,

Hic gelu menteis rigidas superno

Igne resolvit.

Nam simul terris animisque duri

Et sua Bessi nive duriores,

Nunc oves facti duce te gregantur

Pacis in aulam:

Quasque cervices dare servituti,

Semper a bello indomiti, negarunt,

Nunc jugo veri Domini subactas

Sternere gaudent.

Nunc magis dives pretio laboris

Bessus exultat: quod humi manuque

Ante quarebat, modo mente cælo

Colligit aurum.

13 O vices rerum! bene versa forma!

Invii montes prius et cruenti,

Nunc tegunt versos monachis latrones

Pacis alumnos.

Sanguinis quondam, modo terra vitæ est.

Vertitur cælo pia vis latronum,

Et favet Christus supera occupanti

Regna rapinæ.

Mos ubi quondam fuerat ferarum,

Nunc ibi ritus viget Angelorum:

Et latet justus quibus ipse latro

Vixit in antris.

Euge Nicetæ, bone serve Christi,

Qui tibi donat lapides in astra

Vertere, et vivis sacra templa saxis

Ædificare.

Avios saltus, juga vasta lustras,

Dum viam quæris, sterilemque silvam

Mentis incultæ superans in agros

Vertis opimos.

14 Te patrem dicit plaga tota Boreæ,

Ad tuos fatus Scythia mitigatur,

Et sui discors fera te magistro

Pectora ponit.

Et Getæ currunt, et uterque Dacus;

Qui colit terræ medio, vel ille

Divitis multo bove pelleatus

Accola ripæ.

De lupis hoc est vitulos creare,

Et bovi junctum palea leonem

Pascere, et tutis cava viperarum

Pandere parvis.

Namque mansueto pecori coire

Bestias pulsa feritate suades,

Qui feras mentes hominum polito

Imbuis ore.

Orbis in muta regione per te

Barbari discunt resonare Christum

Corde Romano, placidamque casti

Vivere pacem.

Sic tuo mitis lupus est ovili,

Pascitur concors vitulus leoni,

Parvus extracta trucibus cavernis

Aspide ludit.

Callidos auri legulos in aurum

Vertis, et versos imitaris ipse,

E quibus vivum fodiente verbo

Eruis aurum.

15 Hæc aliaque Paulinus, qui has præcipue gentes ab eo excultas recenset: Dacos Ripenses, Dacos mediterraneos, Scytas, Getas, Bessos, Riphæos. At hos si adiit Nicetas, næ ille ut multum obivit terrarum, cum hi in extremo Septentrione collocentur a Geographis, ita laboris ac molestiæ plurimum tulit. Neque vero leviter cælesti doctrina hos populos aspexit: nec poterat sane

EX S. PAULINO

Gentes ab eo

conversæ

Monasteria

instituta.

Barbari

mansuefacti.



EX S. PAULINO

sane adeo immites ac feros animos ita subito penetrare, nisi ingenti studio preparatos. Ut vero hoc consequeretur, admirabili prædium fuisse vitæ sanctitate, ac plurima edidisse divina virtute miracula, indubitatum est. Quo deinde firmiores religio radices ageret, et monachorum cætus instituit, ut jam vidimus, et ipse in eorum, quoad licebat, degit convictu, testante Paulino:

His precor cum te domus alma sancto  
Ceperit fratrum numerosa cœtu  
In choris, et nos pietate cari  
Pectoris abdē.

Monachi inter  
Neophylos.

Nullæ fere barbarorum nationes Christo additæ, nisi aut monachorum opera, aut mox domiciliis monachorum per ipsos earum Apostolos erectis, ut essent veluti plantaria unde novi identidem salutaris doctrinæ magistri educerentur; ut vitæ integerrimæ exemplo ad pietatem intuentes pellicerent; ut denique sanctarum precum sacrificiorumque præsidio novellam gregem munirent, hostisque tartarei conatus eliderent.

15 Quod ad virtutes attinet Nicetæ, pietatem præcipue celebrat Paulinus, qui vel inter navigandum in media epibataram turba, ea etiam accidente, sacros hymnos decantaturum ominetur.

Nicetæ pietas.

Navitæ læti, inquit, solitum celeusma  
Concinent, versis modulis in hymnos,  
Et piis ducent comites in æquor  
Vocibus auras.

Præcinet cunctis, tuba ceu resultans,  
Lingua Nicetæ modulata Christum:  
Psallet alternis citharista toto  
Æquore David.  
Audent Amen tremefacta cete,

Et Sacerdotem Domino canentem  
Læta lascivo procul admeabunt  
Monstra natatu.

De eadem ceterisque virtutibus paulo inferius:

Ducat hunc æque famulum suum dux  
Ille, qui quondam profugum minacis  
Fratris a vultu Deus in salutem  
Duxit Jacob.

Namque Niceta fugitivus æque est:  
Quod semel fecit Patriarcha, semper  
Hic facit, mundo fugiens ad alti  
Mœnia cæli:

Et gradus illos, quibus ille vidit  
Angelos versa vice comœantes,  
Iste contentus superante nubes  
Scandere vita;

Per Crucis scalas properans in astra,  
Qua Deus nitens ad humum coruscis  
E thronis spectat varios labores  
Bellaque mentis.

Tuque, Niceta, bene nominatus  
Corporis victor, velut ille dictus  
Israel, summum quia vidit alto  
Corde satorem.

Unde Nicetes meus approbatur  
Israelites sino fraude verus,  
Qui Deum cernit solidæ fidei  
Lumine Christum.

Hæc aliaque de Niceta suo Paulinus. Utinam res ab eo præclare gestæ mandata litteris essent! Illustre procul dubio Apostolici præconis exemplar in iis haberemus expressum.

Similis Jacob  
Patriarchæ.

## DE SANCTO VALENTINO EPISCOPO PASSAVIENSI.

CIRCITER  
ANN. CDXL.  
VII JANUARI.  
S. Valentini  
triumphus.

**N**on uno die S. Valentini memoriam celebrant Martyrologia. Nam Romanum xxix Octobris ista habet: Eodem die sanctorum Episcoporum Maximiliani Martyris, et Valentini Confessoris. Molanus in Addit. ad Usuardum, eodem die: In civitate Pataviensi triumphus sanctorum Episcoporum Maximiliani Martyris, et Valentini Confessoris. Quis vero ille sit triumphus, non exprimit. Eadem habet Martyrologium Germanicum, additque præcipuos ejus Ecclesiæ et diœcesis patronos esse. In vita S. Maximiliani xii Octobr. mentio fit servatæ civitatis Pataviensis anno mclxlx, xxix Octobris ejus ac S. Valentini patrocinio, de quo nos isthuc. Corrigendum Gallobelgicum Martyrologium, in quo Patavio Italiæ ambo adscribuntur.

Non est hic  
Vianensis in  
Lusitania.

2 In Dextri Chronico ad annum cxxxiv, num. 3, isthæc habentur: Prope Tudem in Gallæcia, in oppido Vianensi, sancti Pontifices Maximianus et Valentinus Confessores clarent. Non dubitat Bivarius quin hi sint SS. Maximilianus et Valentinus, de quibus Martyrologium Romanum xxix Octobris; et fidenter Molanum corrigit, qui locum Viennæ male cum Theodoro conjunxerit. Ita legendum censet: Eodem die sanctorum Episcoporum Maximiliani Martyris et Valentiniani Confessoris, Viennæ. Item depositio B. Theodori Abbatis. Hunc vero Theodorum asserit S. Pachonii esse discipulum; neque enim ullum Viennæ in Gallia notum esse Theodorum. Verum Theodarium non Theodorum scripsit Molanus; atque is colitur Viennæ illo die, ut ex Adonis Episcopi Viennensis Martyrologio constat, et Theodorus quoque ab aliis appellatur. Ast ille S. Pachonii discipulus Theodorus xxviii Decemb. colitur. Quamvis probaret Bivarius Maximianum hunc et Valentinum (quem ipse Valentinianum vocat) colit uspiam, sive hoc sive alio die; at nunquam

eos pro Bataviensibus nostris supponi patiemur, quos constat antiqua religione celebres fuisse.

3 vii Januarii ista de S. Valentino scribit Molanus: Patavii, Beatissimi Valentini Episcopi Rhætiarum. Eodem die Ferrarius in generali Catalogo SS. Pataviæ in Norico S. Valentini Episcopi, et ejusdem urbis Patroni. Eo die colit illum Passavii, testatur Mattheus Raderus Noster. ms. Martyrologium Bedæ monasterii Richebergensis in Bavaria, eodem die: Valentini Episcopi.

Ejus natalis.

4 iv Augusti eum alii celebrant; quo die Petrus Galesinius: Patavii in Noricis S. Valentini Episcopi et Confessoris, qui noctu in vigiliis orationibusque frequens interdiu sacrarum lectionum studiis ac pietatis officiis magnopere deditus, cælestium virtutum donis affluens, migrat ad Dominum. Citat tabulas Passavienses. Carthusiani Colonienses in Addit. ad Usuard. Translatio S. Valentini Episcopi Pataviensis et Confessoris. Eadem Martyrologium Germanicum. Martyrologium Colon. solum habet: Ipso die B. Valentini Episcopi et Confessoris. Ferrarius: Pataviæ in Norico S. Valentini Episcopi et Confessoris. ms. Florarium: Item Translatio S. Valentini Episcopi et Martyris, et paucis interjectis: Item B. Valentini Episcopi et Confessoris. Agitur ergo vii Januarii Natalis S. Valentini, ut ex vita S. Severini vii Januarii patet; iv Augusti fortassis translatio et Inventio secunda xxix Octobris vel prima vel alia quæpiam translatio. Ceterum in catalogo Episcoporum Passaviensium non reperitur Valentini nomen, quod merito miratur M. Velserus in Notis ad S. Severini vitam,

not. 112

Translatio.

5 Eugippius in vita S. Severini vii Januarii S. Valentini, ita meminit: Epiphaniorem die, cum Sanctus se Lucillus Presbyter Abbatis sui S. Valentini, Rhætiarum

Lucillus ejus  
Presbyter.